



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Non esse parabolam, sed veram historiam Regis Nabuchodonosoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

*Glaucomam ob oculos obijciemus, eumq; ita  
Faciemus, ut quid viderit, non viderit.*

Plaut. in mi-  
lite glori.

Hac arte sagi, & magi, dæmonis auxilio, ita perstringunt  
falluntq; oculos intuentium, ut præsentem vel non videantur,  
quemadmodum apud Homerum Vlysses, & apud Virgilium  
Æneas

*Infert se septus nebula (mirabile dictu)*

Virgil. 1.  
Æneid.

*Per medios: miscetq; viris: neque cernitur vlli;*

vel videantur esse picæ, feles, canes, lupi; vnde & lycanthro-  
pi vocantur, qui sub figura lupi ouium gregem exagitant, in-  
vadunt, occidunt, & mox in hominis formam reuertuntur.  
Habemus pro dolor exempla quotidiana in nostris sagis, eti-  
am sub eiusmodi forma sauciatis. Et mentionem facit talis  
transformationis D. Augustinus; nos autem infra fusiùs. Cû  
ergo Deus voluit Nabuchodonosorem humiliare, potuit per-  
mittere cæcodæmoni, ut aliquid simile circa eum operaretur.  
Immo potius potuit ipse Deus, circa corpus regis, quandam  
bestiæ figuram circumponere, sub qua, ab alijs aspicientibus  
bestia esse crederetur. Quemadmodum feminam, ad se addu-  
ctam S. Hilarion curauit: alijs, per magicas artes, iumentum  
esse apparebat, quæ S. Hilarioni mulier, vti reuera erat, vide-  
batur. Hoc modo potuit & Nabuchodonosor superuectiri, &  
feræ faciem præ se ferre; non tamen re ipsa hoc modo feræ fa-  
ciem præ se tulit. 1. Quia hoc non est mutari, sed tegi. 2.  
Quia non ab extrinseco, sed intrinsecus eum mutatum esse  
significant illa verba: *Cor eius ab humano commutetur, & cor  
fera detur ei.* 3. Quia fœnum ut bos comedit, quod non factu-  
tus fuisset, si in se ipso mutatus non esset, sed tantum alijs mu-  
tatus apparuisset. 4. Quia commemorantur diserte *capilli eius  
in similitudinem aquilarum creuisse, & unguis eius quasi auium.*  
5. Quia ipse de se testatur suo, non aliorum sensu, sanato:  
*sensus meus reuersus est ad me, & figura mea reuersa est ad me.*  
Quod non dixisset, si in eo tantum deceptus esset sensus alie-  
nus.

S. Augustin.  
lib. 18. ciuit.  
cap. 18.

S. Hieron in  
vita S. Hila-  
rionis.

Dan. 4. 13a

Est igitur secundus modus, ut mente cerita, non jam alijs,  
sed sibi ipse, per imaginationem vitiatam, in feram transfor-  
matus

V.

Dan. 4. 30.

ter ceruos & lupos, inter apros & vrsos, inter leones & dracones versabatur, qui antehac fercula videbat in mensam inferri, quorum ne numerandi quidem, ne dum edundi copia erat, postea pro lautitijs regijs, *fanum vt bos comedit*; qui antea comtus cesariem calamistris crispabat, & vnguentis Arabicis imbuebat, postea illi crescebant *capilli in similitudinem aquilorum*; cuius digiti antea gemmis, velut cælum stellis lucebant, postea *vngues quasi auium*, aut falconis hamabantur. Et hæc omnia, per septem annos, est passus, vt tanto acerbius, quanto diutius deprimeretur; passusq; est, postquam iam triginta septem annis regnavit, vt tanto tempore affluetis delitijs, grauius sentiret calamitates inexpertus. Nonne hæc magna est metamorphosis?

III.

Maiores apparebit hæc mutatio, si quid non sit, & quid sit, in apuricum deducamus. Etenim magnitudine prodigij adductus Origenes cum suis, ausus est affirmare, hæc de Nabuchodonosore non historicè, sed parabolicè duntaxat narrari, & sub regis huius nomine, casum Luciferi depingi. Verùm D. Hieronymus & alij plerique aiunt, hanc esse hæresin; eum ex simplici narratione eius facti pateat, historiam esse; & scriptura clarè dicat, *omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem*, quæ scilicet ipse prius narrauerat, sibi in somno ostensa, ac postea re ipsa contigisse. Quo pacto autem contigerint, vel contingere potuerint, graphicè certatur. Neceadem omnium est sententia.

Dan. 4. 25.

IV.

Quatuor sunt modi, quibus id contingere potuit; 1. vt Nabuchodonosor talis in oculis tantum aliorum videretur; 2. vt talis sibi duntaxat esse putaretur. 3. vt fera talis re ipsa esset. 4. vt partim talis esset, partim talis non esset, qualis ab authoribus perhibetur. Primus modus placuit Michaëli Medinæ, existimauit enim, regis in bestiam conuersionem nequaquam veram, sed phantasticam duntaxat fuisse; quo pacto etiam Apostoli, quando Christum *viderunt ambulantes supra mare*, *putauerunt phantasma esse*. Eiuscemodi autem phantasma vel à dæmone potest fieri, vel à Deo. A dæmone, per præstigijs, Quo sensu comicus ait:

Michael Medin. lib. 2. de fide. c. 7.

Marc. 6. 49.

Glauco